

voluptate semper appetat, necessario plenissimum amorem ac voluptatem à Patre in Filium, & à Filio in Patrem, tanquam imagine in archetypum procedere; itaq; per conjunctum Intellectum & Voluntatem utriusq; tertium existendi modum s. Personam in divina Essentia poni, nempe Spiritum Sanctum. E naturâ boni multipliciter inferunt; omne bonum sui esse communicativum, eodem pacto DEUM ut Bonum infinitum & absolutissimum communicatione intimâ ac infinitâ se communicasse aliis, & hoc ipsò duas à se distinctas produxisse personas. Ut illorum speculationes taceam, qui exemplum petunt ab affectionibus Entis unitis primariis, unô, verô, bonô: à generica cujusque Substantiæ proprietate triplici, esse, posse, & operari. Nimis quantum pueriliter ineptit quidam, ex Grammaticis hypothesibus Trinitatem, probare satagens: *Si enim, inquit, quis Blictri eloquitur, vocem spirat, nihil dicit, si verò ex institutô Reipubl. Blictri notaret Elephantem, non tantum spiraretur ut vox, sed & diceretur ut verbum, quod à voce spiratâ tantum differret modô existendi, adeoq; non essentialiter, cum vocis existere sit spirari, verbi autem dici seu significare simul: similiter DEUM Patrem dicere vel spirare, DEUM Filium dici, Spiritum Sanctum spirari.*

§. 2.

Nugæ! Paulò majoris momenti cætera quidem æstimes: Verùm an per se primâ statim fronte mentem subeant, talemq; sponte suppeditant conclusionem, haud immeritò dubites, plurimis exceptionibus res ubiq; potius involvitur: Neq; enim humanum capit ingenium, quomodo intellectus divinus intuendô seipsum distinctam statim genuerit personam, quandoquidem & ejusmodi propria reflexio animæ citra speciem fiat, nihilque in DEO sit, nisi ipse idem DEUS, nec quomodo amor divinus peculiarem existendi modum constituat: prætereà, utut ceu Bonum consummatissimum sese communicet, quis expediet, cur non pluribus aut paucioribus? Ejusdem farinæ & reliqua sunt. Affectiones quippe Entis ratione tantummodò differunt & conceptû, non realiter: Potentia verò & actualis operatio qualitates sunt ab essentiâ profuentes, non ὑφιστάμενα.

§. 3.